



PRAEFATIO.
LECTORI VERITATIS STUDIOSO
SALUTEM PLURIMAM DICIT

JOANNES CHRISTOPHORUS HARENBERGIUS.



Osteritas Ludolfi, qui Saxoniae orientalis ducatu olim fuit functus, ad illud maiestatis summae fastigium, fortunante Deo, evecta est, * ut merito in originem & natales eius ultimos inquiramus. Habent enim illud flumina amplissima, ut quisque de scaturigine eorum prima pervestiganda sit sollicitus. Quantae quondam distinebant litteratos controversiae de Nili capite & prima origine, quam, nonnisi saeculis permultis post, Jesuita SCHERERIUS liquido tandem ostendit. AUGUSTISSIMAM profapiam Electorum & Ducum Brunsvicensium ac Luneburgensium haud temere cum clarissimo, uberrimo ac maximo flumine, fluminumque parente, Nilo, in contentionem ac comparisonem adduco. Nam per tot saeculorum anfractus disiunctissimos genus illud, sublimibus potentiae radiis coruscum, exporrigitur, ut fere nescias originem eius & fontem. Quantae enim in Ludolfi maioribus definiendis agitentur inter eruditos controversiae, satis dici non potest. Poteram equidem admirari fecunditatem, clementiam, & divinas perfectiones generis huius celsissimi, potentissimi & vetustissimi, atque contentus esse eo patrocinio, quo PRINCIPES BRUNSVICENSES terras nostras & in eis me etiam fovent, tutantur, & fructibus pacis optatissimae in dies reficiunt. Ut enim mente perquam pia & maxime submissa *PATREMPATRIAE CLEMENTISSIMUM, DUCEM LONGE SERENISSIMUM, AUGUSTUM WILHELMUM* veneror; ita etiam eiusdem ex *SORORE SERENISSIMA neptem DUCEM SERENISSIMAM ABBATISSAM GANDERSHEIMENSEM REVERENDISSIMAM MELISABETHAM ERNESTINAM ANTONIAM, DOMINAM MEAM AETERNO PIETATIS ACCLIENTELAE CULTU PROSEQUENDAM* nunquam non existimo. Profecto quo magis

A

ad

* Quomodo domus Brunsvico-Luneburgica, quae nunc floret, e Ludolfino genere derivanda sit, sub finem tractationis indicabitur. §. 46. 47.

admiror & veneror tantae profapiae decus & fulgorem, eo impensius redditur illud studium, quo ad perlustrandam ultimam antiquitatem eius accendor. Aemulor in eo instituto morem longe laudatissimum, quo ABBATISSA CLEMENTISSIMA coenobium Brunshufam, Ludolfi quippe primum opus manu positum, splendori restituit, & multis litteraturae vestigiis amplificat. Imitor DOMINAE SERENISSIMAE consuetudinem, qua domicilium memoriae Abbatissarum recolendae inibi inchoari iussit, exorsus inde a LUDOLFO, OTTONE, HENRICO AUCUPE & OTTONIBUS totidem coenobii ac Abbatiae Gandersheimensis nutritoribus piissimisque conservatoribus, indeque ab HATHUMODA, GERBIRGE & CHRISTINA Ludolfi filiabus. Nec ignoro, me potissima quadam ratione ad maiores Henrici Aucupis ipsorumque res gestas plenius exponendas esse obstrictum. Eo enim in loco per annos hosce octo versatus sum, ubi Ludolfi memoria maxime viget, & perquam habetur venerabilis. Patuerunt heic mihi diplomata genuina LUDOLFI, LUDOVICI GERMANICI JUNIORIS & OTTONIS MAGNI. De primo dubitant fere omnes historici, illud potius pro commentitio & supposito ac circumscripto venditantes. Mihi longe secus videtur. Rationes, cur nostra vindicem, haud quidem procul quaerendae sunt. Quis enim veritatis observantiaeque clientelaris professionem in una mente morari posse, prae fracte negabit? Nemo dixerit Abbatissae opus esse meis vindiciis! Pone enim Ludolfinum diploma esse supposititium, possessione tamen tot saeculorum, tot aliis Imperatorum diplomatibus genuinis, tot infeudationibus Imperatoriis vindicantur REVERENDISSIMAE ABBATISSAE ea praedia, quibus Ludolfus coenobium suum dotavit, ut detrimentum accipiatur, diplomate Ludolfino prostrato, non nisi aliquot litterarum & syllabarum. Potissimum ea de causa Ottonis primi diploma ceteris a me adlatis inserui, ut intelligas, nullam fuisse olim nostris causam, cur diploma Ludolfo subiicerent. Nam omnes ibi villae & tractus, a Ludolfo in Abbatiam penitus translati, aequae recensentur ac in diplomate Ludolfino. Cur, obsecro, fingerent nostri diploma, Ducis Ludolfi nomine superbiens, ubi Imperatorum & Regum Germaniae diplomatibus & tutela munitabantur? Utrum censes potentius & securius fuisse, Ludolfine, an Ottonum & Henricorum tenuisse diplomata? Chartam, qua Ludolfus Brunshufani coenobii originem prodit & quod Papae Sergii litteras continet, plurimi permiscunt cum Diplomate altero, quo Ludolfus coenobii & templi Gandersheimensis foundationem memoriae posterorum tradidit. Posterius videtur naevo chronologico laborare. Quantum res ipsa flagitare & veritas exigere videbitur, utrumque diploma loco suo vindicabimus. Praeter nonnulla diplomata scriptores vetustos & recentiores in medium

dium adhibui. AGIUS presbyter primas heic tenet, Ludolfo quippe Odac & Hathumodae, Abbatissae primae, aequalis aetate, & rerum Gandersheimensium peritissimus. Scripsit ille *Vitam Hathumodae primae Abbatissae Gandersheimensis* oratione pedestri cum *Dialogo elegiaco in obitum Hathumodae*. Utrumque scriptum est luci publicae datum a JOANNE GEORGIO ab ECCARD in *Veterum Monumentorum quaternione* Lipsiae 1720. fol. ibique primum occupat locum; nec non a P. PEZIO in *Anecd. Norvis.* T. I. P. III. p. 288. 599. De auctore & vita eius partim vera partim vero simillima adfert fautor noster praestantissimus ECCARDUS in *Notis ad Vitam illam Hathumodae* p. 27. ubi docet Agium fuisse Monachum Corbeiensem, Hathumodae medicum, alias vocatum Wicbertum à *wich*, (*wih*, *sanctus*) dictum Agium, ἀγιον, tandemque episcopatu Hildesienfi praefectum. * Ex hoc Agio varia chronologica didici, scriptoribus aliis plane ignorata. Secundas defero HROS WITHAE Canonissae Gandersheimensi, cujus *carmen* hexametrum de *Constructione coenobii Gandersheimensis* certatim prima vice ediderunt GOTHOFREDUS GUILIELMUS LEIBNITIUS ** T. II. *Scriptor. Brunsvic.* & JOANNES GEORGIUS LEUCKFELDIUS in *Antiqq. Gandersheim.* p. 410. sqq. Carmen illud Roswithae anno 1530. ex tabulario ecclesiae cathedralis Gandersheimensis FRIDERICO HENRICO BODONI ad syntagma scribendum, uti ipse in exordio testatur, fuit mutuuum datum deinceps in coenobio Clusensi remansit, eoque in ditionem Ducum Brunsvicensium ad tempus translato cum reliqua Bibliotheca Clusensi Helmstadium in bibliothecam Juliam migravit. Eo pacto exemplum pervenit ad MEIBOMIOS historicos & diu bibliothecae illi praefectos & ab hisce ad convictorem olim Meibomiorum CONRADUM BERTHOLDUM BEHRENS Med. D. Historicum optimum fautoremque nostrum honoratissimum, cujus beneficio tabularium ecclesiae Gandersheimensis exemplar aliquod MStum recepit, quod tamen aequae, ac editiones Leibnitii & Eccardi, lacunis nonnullis laborat. Ediderat paullo ante HENRICUS LEONARDUS SCHURZFLEISCHIUS, Polyhistoris frater, I. V. D. & Historiarum Prof. P. Vitenbergensis altera, post *** CONRADUM CELTEM, vice Hros withae opera, anno videlicet 1707. 4. eaque HENRIETTAE CHRISTINAE, Abbatissae, inscripserat, additis ad 9. Junii datis Viteberga ad illam litteris. Caret tamen illa editio carmine illo, de quo paullo ante differui. Vixit Hros witha in coenobio Gandersheimensi ab ineunte aetate, haud

A 2

ita

* *Wigbertus, Commonachus noster, electus in Episcopum Hilleneshemensem.* Annal. Corbeienfes ad a. 883. p. 298. T. I. Leibnit. Obiit a. 903. p. 299. ibidem.

** Cuius vitam dant *Acta Erud. Lat.* 1717. p. 317-322. JOANNES FABRICIUS T. II. *Bibliothecae suae.* p. 317. sq.

*** *Celtes carmen inuenerat in coenobio vetusto, & Noribergae excudendum curauerat a. 1500.*

ita multum post natales cœnobii ipsius, doctrina & rerum publicarum notitia commendabilis. Vitam ejus dederunt TRITHEMIUS in *libro de viris illustribus Germania*, BODO in *Syntagm. Gandersheim. T. II. Meibom. pag. 493. sqq.* MEYERUS in *Monumentis Julii* pag. 12. GUILIELMUS CAVE in *Hist. litter. eccl. pag. 588.* JOANNES GEORGIUS LEUCKFELDIUS in *Antiqq. Gandersheim. c. 24. pag. 271. sqq.* H. L. SCHURZFLEISCHIIUS in Præfat. ad Opera Hroswithæ, & succincte JACOBUS FRIDERICUS REIMMANNUS antistes sacer oppidi Hildesheimii in *Einleitung in die Historiam litterariam der Deutschen L. II. Quæst. 181. p. 282.* carminis hexametri immemor. Fuit præterea in manibus opus quoddam JOANNIS LEZNERI *MStum de Coenobiis per Ducatum Brunsvicensem & Lunenburgensem.* Miros in eo deprehendi errores & aberrationes a veritate totidem, quot lineas. Lector hujus judicii veritatem suo calculo confirmabit, ubi Lezneriana excitandi infra data fuerit occasio. Inveni in his Leznerianis plus industriae quam veritatis. Excusat eum, qui vitam ejus conscripsit, Vir plurimum reverendus PHILIPPUS JULIUS REHTMEYER in præfatione ad *Braunschweig-Luneburgische Chronica M. Henrici Buntingi, und Joannis Lezners in Ordnung gebracht und vermehrt. 1722. fol.* Succinctius LEZNERI vitam dedit JOANNES JUSTUS ab Einem in appendice ad *Differt. epistol. de Claris Domeieris Magdeburg. 1722. 8.* Quæ REHTMEIERUS de Ludolfo ex M. HENRICO BÜNTINGO habet *T. I. P. II. C. XI. p. 177.* insignia sunt errato non uno, eoque olim inevitabili ob monumentorum & diplomatum fidelem copiam Buntingio denegatam. Genealogia Wittekindia mascula, quam ille cum FRANCISCO IRENICO & aliis bene multis amplectitur, a Leibnitio tentata, ab Eccardo, Behrensi & Gundlingio explosa est, licet nec his satis inter sese conveniat. Res omnis heic in Acta S. Idae ab UFFINGO, Monacho Werthinensi conscripta & T. I. Leibnitiano inserta, recidit. Quantum per rationes historicas determinare licet, id evincere enitar, satis persuasus, patrem Ludolfi fuisse Egbertum, matrem Idam: avum Brunonem seu Bernonem. Annos Hathumodae, Gerbirgis & Christinae socordius notatos ad veritatem primam revocavi, ac Ludolfo liberos tredecim adserui, cui olim apud maiores nostros duntaxat sex assignabantur. In exquirendo Ludolfi castro multam impendi operam. Nomen Ludolfi superest penes nos in *Liudolveshusi & Nordliudolveshusi, ac Ludolvessem.* Liudolveshusi inter Danckelsheim & Brunshusen fuit situm. Superest ibi tractus agrorum, qui dicitur *Ludolfsfeld.* Tandem per bellorum incendia Liudolveshusani incolae ad paucos fuerunt redacti & in pagum proximum Dankelsheim* demigra-

* Huc usque illi Liudolveshusani, qui in pagum Danglevessem seu Danckelsheim demigrarunt, sex tenent villas, quæ non sequuntur jura parochialia pagi sui, sed subsunt ministro ecclesiæ, cui Abbatisa eos adstringere voluerit.

migrarunt. *Nordludolveshusi* fuit situm secundum alios, ex fama judicantes, ultra Dankelsheim in myrteto magno (*GROSSEN HEIDE*) quod nunc inferuit pascuis pagorum circumiacentium. Haud vane auguror, illos olim tractus in dotem Abbatiae a Ludolfo fuisse datos rursusque iniuria temporum alienatos. Haud procul Gandersheimio ad occidentem australem alius est tractus, senatui Gandersheimensi a generosissimis Dominis de Oldershausen in feudum datus, cui adpellatio *Ludolvessem* adhaeret. Dabo hoc suo loco plenius, de quibus antehac neminem animadverto fuisse sollicitum. Nonnulla didici ex FRIDERICI HENRICI BODONIS *syntagmate de constructione coenobii Gandesiani*, quod comparet T. II, Meibom. p. 479. sqq. et a LEIBNITIO post hæc* correctius est editum. Varia tamen ignoravit Bodo. Prima sunt egregia, siquidem ex carmine Hroswithae depromta, de qua dicit pag. 480. *Magis illustri Hroswithae credendum est, quae sub septima loci abbatisa scripsit, quam illis, quae vnde emerferint, nescitur.* Quaedam in eo notat MEIBOMIVS p. 510. Noto illud etiam, quod sex tantum liberos Ludolfo tribuat, p. 481. ** Noto ridiculam & falsam originationem Westphaliae, ex *Westenfeilt*: Brunonem ab eo patrem Ludolfo datum, p. 480. Praecipua laude ornandus est JOANNES GEORGIVS LEVCKFELDIVS, olim scriba praefecti summi Abbatissae, generosissimi de Koch in Windhausen, informator iuuenum Abbatissae nobilium et horarum prelatoriarum in aula moderator facer, postea a. 1702. pastor primarius Groningae ad Halberstadium, defunctus a. 1726. 24. April. Hic enim edidit *Antiquitates Gandersheimenses* Germanice 1709. 4. Guelferbiti. Erat gener Capitularis primi seu senioris Probstii, unde non potuit non studio partium conripi. Nonnulla postea emendavit in *Vita HAMELMANNI et HESHVSII*. Diplomata dedit, nullo excepto, vitiose et alicubi truncata, saepius ostendens imperitiam legendi scripturam vetustissimam. Ludolfinam chartam pro genuina evulgat c. III. p. 22. sqq. Diploma autem Ludolfi genuinum infestat, et sub censuram minus benignam revocat in *Antiqq. Halberstadenfibus* p. 62. sq. Omitto alia. Restant tamen plura, quae laude sua defraudari nequeunt, et quibus facile nonnullas condonamus maculas. Vitam Leuckfeldli scripsit M. TOBIAS ECKHART Rector Gymnasii Quedlinburgensis 1727. 4. 8. plagg. vnde potiora in compendium missa leguntur in *Actis Erud. lat.* 1728. p. 431. et CHRISTOPHORI COLERI *auserlesener Theologischen Bibliothec.* R. XXX. Art. 6. p. 530. sq. Juvat fateri, me ex Notis JOANNIS GEORGII ab ECCARD permulta edoctum esse, quas quidem AGII *Vitam Hatbunodae* excipere voluit p. 27-44. Memorabile est, auctorem tabulas genealogicas sua manu correxisse, in quibus genus Ludolfi pertexitur. Significo illud exemplar, quod a. 1722. coram Reuerendissima Abbatissae in sui memoriam dono dedit. In solo Ludolfo non substiti, sed majores omnes Henrici Aucupis illustrare aggressus sum, ut veluti commentarius exstaret de genere illius Henrici, cui media aetas ob narrationem quandam fabulosam cognomen Aucupis dedit. Accuratissimam acciperemus indubie delineationem rerum Gandersheimensium, si *VIR PERILLVSTRIS et GENEROSISSIMVS*, JOANNES ANTONIVS de KROLL, diligentissimus membranarum et chartarum conlector, ex promptuario suo pulcre digesto publicos fructus emittere laboraret. Antequam autem colophonem hisce addam, illud grato et obseruantissimo heic praedicandum est animo, me nonnunquam ex fontibus viri hujus incomparabilis sitim meam restinxisse. Haec sunt, quae, *LECTOR OPTIME*, scire te volui. Si qua placent, ea voluntati meae, inferuendi aliis cupidissima, tribuas velim; si qua ad probationem tuam non merentur, ea oblata occasione emendes, obsecro, ut errores mei aliis sint veritatis exrundendae adminicula. Is enim error est felix, qui aliis est materia penetrandi in veritatem. Ita vale et auctori fave. Dabam Gandersheimii ad XII. April. 1730.

B

STEM-

* In Tomo III, scriptorum Brunsvicensium Art. XXXIV. p. 701. sqq.

** T. III, Leibnit. p. 702. *Genuit Ludolfus ex Oda filios Brunonem et Ottonem, filias quatuor.* Finxerunt alii adhuc filium Tanqwardum & filiam Mechthildem, de quibus suo loco. §. XLIV.